

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7394

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Bourg-Achard, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1172-1189]

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Confirmation générale des biens appartenant aux chanoines de Saint-Lô de Bourg-Achard.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° DCCXV, t. 2, p. 338-339.

Dissertation critique

«1172-1173 – 1189 » : datation proposée par DELISLE/BERGER. Cet acte, qui porte la formule Dei gratia, n'est pas antérieur à 1172-1173.

Texte établi d'après a

H., Dei gratia rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopo Rothomagensi, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, vicecomitibus, et omnibus ministris et fidelibus suis totius Normannie, salutem.

Sciatis me concessisse et presenti carta confirmasse ecclesie Sancti Laudi de Burgo Achardi et canonicis ibidem Deo servientibus quietanciam per totam Normanniam de victu canonicorum et rebus suis propriis, et pasnagium porcis eorum, et herbagium bestiis suis, et omnia supra (sic) scripta que eis rationabiliter data sunt in perpetuam elemosinam, scilicet: Ex dono Rogeri de Bosco predictam ecclesiam Sancti Laudi, cum quatuor prebendis eidem ecclesie pertinentibus, et virgultum quod est juxta prefatam ecclesiam, et totam [terram] que est infra ambitum curie illorum, et decimam thelonei de Burgo Achardi et molendini predicti Rogeri quod est apud Pontem Autous, et propriam moltam jamdictorum canonicorum, solutam et quietam in molendino ejusdem Rogeri, et decimam pasnagii et omnium reddituum de Burgo Achardi qui ad eundem Rogeri pertinent, et decimam panis domus ipsius que est apud idem burgum (sic), et tres acras terre ad luminaria predictae ecclesie, et alias quatuor acras terre quas tenuit Radulphus Crespium, et illas triginta et tres acras de bosco quas Hugo primus prior jam memorate ecclesie illi donavit, concessione Rogeri Gule de Maltre et Marchi filii ejus, et XLVIII. acras terre que descendebant ex parte matris sue, et terram quam Hubertus de Sotevilla habebat in parochia illorum canonicorum ; servitium et redditus illius terre quam Aufridus filius Godois tenebat de Waltero Gloz, scilicet VIII. solidos et II. denarios. Ex dono Nicolai de Londa et Roberti fratris ejus, ecclesias de Tubervilla, scilicet ecclesiam Sancte Trinitatis et ecclesiam Sancte Marie et ecclesiam Sancti Audoeni, cum pertinentiis omnibus earumdem, annuente Eudone, filio Ernusii, qui tunc temporis teneduram terre illius habebat. Ex dono Roberti comitis Mellenti et Willelmi de

Piencourt, ecclesiam Sancti Philiberti de Bouquetot, cum omnibus pertinentiis suis. Ex dono Philippi de Ripparia, ecclesiam Sancte Marie de Hanguemara. Ex dono Henrici de Novo Burgo, capellam Sancte Marie de foresta Novi Burgi, cum libertatibus et pertinentiis suis. Confirmo etiam predictis canonicis regularibus molendinum quod est apud Pontem Aultou, quod habent de monachis Gemmeticensibus, cum moltura hominum suorum de Ponte Aultou et libertatibus quas eis in carta sua confirmaverunt. Ex dono autem comitis Willelmi de Aubemarle, XX. solidos Belvacensium. Ex dono comitis Waleranni Mellenti et comitis Roberti filii sui, quietanciam per totam terram suam de victu canonicorum et rebus suis propriis, et pasnagium porcis eorum, et herbagium bestiis suis, et boscum ad proprium ignem suum, et etiam quietanciam de passagio et serviciis et auxiliis et tallagiis et de omnibus consuetudinibus, ut sint in pace ipsi et homines terre illorum et quieti ab omni exactione et perturbatione. Ex dono Alani de Sancto Petro, decimam vini et... apud Longam Villam. Concedo etiam et confirmo quecumque alia rationabiliter data sunt vel data fuerunt et cartis sive cyrographis donatorum confirmata. Quare volo et firmiter precipio quod predicti canonici regulares habeant et teneant elemosinas suas et possessiones eis rationabiliter datas, in bosco, in pratis, in pasturis, in aquis, in molendinis, in ecclesiis, in terris et decimis, in viis et semitis et omnibus aliis locis et aliis rebus ad eos pertinentibus, bene et in pace, libere et quiete, plenarie et integre et honorifice, cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus suis, sicut carte et cyrographa donatorum testantur. Testibus, etc.